





195
17
35.
A S S E R T I O N E S
J U R I D I C A E
D E

1628, 4.
L O C A T I O N E
E T C O N D U C T I O N E .

Q U A S

D. O. M. A.

S U B P R A E S I D I O

Viri Clarissimi & Consultissimi,


DN. SIGISMUNDI Flach / J. U. D.
E T I N C E L E B E R R I M A A R G E N T O R A -
T E N S I U M U N I V E R S I T A T E P R O F E S S O R I S
ordinarii, Praeceptoris, & Fautoris sui omnis
observantiae cultu prose-
quendi.

Publicè discutiendas proponit

Mensis Septembris, die 4.

In auditorio ICrorum.

J O H A N N E S C A S P A R U S B E R R I N G E R U S
Budisä, Lufatius.



A R G E N T O R A T I .

Typis JOHANNIS REPPI, Anno 1628.

23



AMPLISSIMIS, CLARIS-
SIMIS, PRUDENTISSIMIS
ET CONSULTISSIMIS
VERIS,

DN. HEINRICO GARTNERO, J. U. D. Inclytæ Reipub.
Budissin. Consuli gravissimo, spectatissimo, Patrono meo omni
honoris cultu prosequendo.

DN. ELIÆ ZEETSCHIO, J. U. D. Syndico apud Budissi-
nenses meritissimo, Patrono & fautori meo singulari.

DN. DAVIDI BERRINGERO, Prætori ejusdem Reipubl.
Budissin. fidelissimo Parenti meo dilectissimo, omni tempore
filiali obedientiâ, sanctè pièque colendo.

Disputationem hanc Juridicam

In

*Singularis observantia monumentum, debitam
gratitudinem, ulterioremque promeren-
dum favorem, commendationem & pro-
motionem,*

Inscribo

Dico

Offero

Johannes Casparus Berringerus
Budissâ. Lusatus. A. & R.



POSITIONES JURIDICÆ
DE
LOCATO CONDUCTO.

THESIS I.

DE LOCATIONE CONDUCTIONE, contractu in hominum commercio frequentissimo, acturus, à definitione initium faciam. Definiri autem potest; Contractus, solo consensu initus, de re aliquâ utendâ vel faciendâ, operâve præstandâ, certâ vicissim mercede pro eâ confestim constitutâ. *princ. Inst. de obl. qua ex cons. princ. & tot. tit. Instit. de Locat. & Conduct. & plur. all. in th. seqq.*

I.

Ex hoc contractu alter contrahentium Locator dicitur, alter Conductor. In his discernendis diversæ sunt Dd. opiniones; Et quidem cum de re aliquâ utendâ in Locatione agitur, Locator est, qui eam definitâ certâ mercede utendam alicui concredit: Conductor verò, qui mercedem præstat.

III.

In Locatione verò operarum, uterque, tam is qui mercedem solvit, quam qui operas præstat, variè, modò Locator, modò Conductor appellatur: Ut plurimum tamen Locator dicitur qui se alteri offert, & initium facit contractus: Conductor verò qui oblatam conditionem suscipit, sive ipse mercedem solvat, sive ab altero accipiat. *quò fac. l. 11. §. pen. l. 13. §. 1. & seqq. l. 19. §. 7. l. 22. §. 1. l. 25. §. 7. l. 26. 36. 38. & pass. ff. Locat. vid. Cujac. lib. 2. observ. c. 28. & coll. Arg. lib. 19. tit. 2. th. 4.*

IV.

Hic contractus Locationis Conductionis est Jurisgentium §. 2. *in fin. Inst. de l. N. G. & C. l. 1. princ. ff. Locat.* Locare autem potest imprimis dominus rem suam, *l. 13. §. 7. l. 14. & pass. ff. d. t. l. 1. §. 1. ff. de superficie.*

V.

Interdum etiam is, qui non est dominus rei, rem alienam locat *l. 9. §. ult. l. 15. §. 8. ff. locat.* veluti bonæ fidei possessor rem à se possessam. *l. 9. princ. ff. d. t.* Conductor rem conductam, *l. 6. C. eod. l. 7. 8. 24. §. 1. ff.*

d. t. Emphyteuta rem Emphyteuticariam: Usufructuarius rem usufructuariam §. 1. Inst. de usu & habitat. l. 9. §. 1. ff. loc. l. 29. ff. quib. mod. usufr. amitt. Is qui habitationem ædium habet, §. pen. Inst. de usu & habitat. l. 13. C. de usufr. vel usum tantum, dummodo hic simul inhabitet, l. 4. princ. ff. de usu & habitat. Creditor rem pignoratam tam extraneo, quam ipsi domino l. 23. ff. de pignor. l. 35. §. 1. l. 37. ff. de pignor. actio. l. 37. ff. de acquir. possess.

VI.

Quin & mala fidei possessor, velut fur vel prædo, rem à se malà fidei possessam locare potest ad hoc, ut ei conductor ad mercedem solvendam obligetur, fac. l. 9. §. 1. l. 35. in fin. princ. ff. Locat. l. 22. §. si prædo. ff. de pignor. act. l. 31. §. 1. ff. de pos. vid. Colleg. Arg. d. tit. 2. th. 5. n. 2.

VII.

De Vasallo hinc quæritur, An is rem Feudalem alii locare possit? quod Affirm. per text. in c. 1. §. donare. qual. olim pot. feud. alien. 2. F. 9. An autem hoc etiam in locatione ad longum tempus, id est ad decennium, vel ultra, locum habeat, controversum est? Neg. Dd. cõmuniter. Cum ex eorum opinione, hac locatione ad longum tempus jus aliquod (sive ut Dd. loquuntur, dominium utile,) conductori in re locatam constituitur (quod tamen Juri civili non convenire videtur. inf. th. 32.) quod vasallo non est concessum.

VIII.

Operas quoque locare potest quilibet, qui eas præstiturus est, l. 22. §. 1. & pass. ff. d. t. §. 1. 4. Instit. eod. & non tantum suas, sed etiam servi. l. 60. §. 7. ff. d. t. non tantum proprii, sed etiam ejus in quo usufructum habet, fac. l. 25. §. 2. l. 26. ff. usufruct. Operas verò servi in quo usufructum habet locare nequit l. 12. §. ult. l. 14. princ. ff. de usu & habitat. Ipse verò servus usurarius operas suas locare, & per hoc obligationem nobis acquirere potest. fac. l. 13. ff. d. t. §. 2. Inst. per quas person. nob. oblig. acquir.

IX.

Contra prohibentur locare, qui & contrahere prohibentur; quales sunt, furiosus. l. 14. ff. loc. prodigus; pupillus sine tutoris autoritate; (non etiam minor, sive habeat curatorem sive non habeat) de socio dubitatur, an invito socio rem communem locare possit? Et posse eum suam partem locare verius videtur, ita ut socius pro ista parte conductorem impedire non possit, fac. l. 2. 3. 4. C. de comm. rer. al. l. 1. C. comm. divid. vid. Coll. Arg. d. tit. 2. th. 6.

Con-

X.

Conducere itidem possunt omnes, qui non prohibentur. Et quamquam regulariter conductio rei suæ non consistat, *l. 21. ff. de usurpat. l. 45. ff. de R. l. l. 20. Cod. de Locat.* Dominus tamen nonnunquam rem propriam rectè conducit. Sic enim debitor potest conducere pignus à creditore *l. 31. §. 1. ff. de pign. act. l. 37. ff. de acquir. poss. l. 33. §. ult. ff. de usurp.* Sic proprietarius rectè conducit fundum usufructuarium *l. 29. pr. ff. quib. mod. usus vel usufr. amitt.* Et multò magis emptor, quia ante rei traditionem dominus non est, *§. 3. Inst. de Empt. vend.* rem eptam à venditore conducere potest, *exemplo l. 16. ff. de per. & comm. rei vend. l. 20. §. ult. 21. 22. pr. ff. Locati. l. 11. §. 12. v. ergo etsi ff. quod vi aut clam.* Venditor quoque rem venditam ab emptore rectè conducit, & eo ipso possessionem ejus & dominium in emptorem transfert. *l. 75. ff. de cont. empt. l. 21. §. 4. ff. de act. empt. exemplo l. 77. ff. de R. V.*

XI.

Prohibentur autem conducere, quicumque aliàs contrahere nequeunt. In specie verò tutores & curatores ante finitam tutelam & curam, rationesque redditas, à fisco conducere prohibentur. *l. 49. prin. §. 1. Locati.* Sicut nec milites *l. 50. ff. d. t. l. 31. C. eod.* nec clerici alienas possessiones rectè conducunt. *N. 123. c. 6. in princ. & alii. vid. Coll. Arg. d. tit. 2. th. 7. 8.*

XII.

Versatur autem Locatio Conductio circa res tam incorporales, quam corporales, mobiles & immobiles *l. 48. pr. §. 1. & pass. ff. Locat.* Nec interest, propria sit an aliena, *l. 7. D. d. t.* aut aliàs alienari, aut opipignori prohibita. *l. 88. §. 15. ff. leg. 2.*

XIII.

Servitutes tamen reales sive prædiales per locationem constitui non possunt, *l. 44. ff. Locati.* videtur enim naturæ servitutis repugnare, ut ad tempus (præsertim expressè) constituatur, *l. 4. ff. de servit.* Servitutes autem personales (excepto usu *§. 1. Inst. de usu & hab.*) veluti usufructus, operæ servorum (quibus operas aliorum animalium comparant, *per l. 5. §. ult. ff. usufr. quem. cav.*) habitatio, locari possunt, *per alleg. sup. in th. 5. & l. 2. ff. de usu & usufr. legato.*

XIV.

Neque verò res tantum locari possunt, sed etiam facta. Interest tamen inter facta, utrum locari solita sint, an non? Si enim factum tale sit, quod locari non solet (veluti ut servus manumittatur *l. 5. §. 2. ff. de præscr. verb.* vel alia liberalia officia, pro quibus non merces, sed hono-

trarium aut salarium datur *l. 1. ff. si mensor falsum mod. dix.* Itemque
quæ vel propter gravitatem & dignitatem suam, sicut operæ Docto-
rum, Advocatorum, Medicorum *l. 1. § 2. ff. de extraord. cognit.* vel
quia nullum commodum inde ad conductorem redit, non locari so-
lent) non locatio conductio, sed aliud quoddam negotium contrahi-
tur; ex quo vel actio præscriptis verbis aut conductio (*ut l. 5. princ. ff. de
cond. caus. dat.*) datur, vel extraordinaria cognitione parti læsæ subve-
nitur. *dd. ll.*

XV.

Locatio Conductio contracta intelligitur simulatque de rei ali-
cujus usu, vel facto aliquo præstando, certâ vicissim mercede constitu-
tâ convenit. *princ. Inst. de Locat. cond. l. 2. ff. Locati.* Est enim eorum
contractuum numero, qui solo consensu perficiuntur. *in fin. tit. Inst. de
Oblig. quæ consens. contrab.* unde nec traditio rei, nec verba (ut in stipu-
latione) nec scriptura ad ejus perfectionem necessaria est, *fac. l. 1. ff. d.
t. nisi forte aliud inter contrahentes pacto convenit. exemp. princ. Inst.
de Empt. vend. l. 17. C. de fid. instr.*

XVI.

Merces verò ita necessaria est, ut sine eâ nulla esse possit Locatio
l. 46. ff. Locati. l. 1. § 9. ff. depositi.

XVII.

Mercedem autem certam esse oportet ab initio contractus, *§ 1.
Inst. Loc. de cond. l. 52. ff. de don. int. vir. & uxor.* non secus ac in empt.
venditione pretium certum requiritur. *§ 1. Inst. de Empt. & vend.* Consi-
stit enim locatio iisdem juris regulis, quibus emptio, *princ. § 1. & seqq.
Inst. de Loc. cond. l. 2. princ. § 1. ff. eod.*

XVIII.

Certam verò esse sufficit, in rei veritate, licet à contrahentibus ejus
quantitas ignoretur. *fac. l. 7. § 1. ff. de contrab. empt. § 6. Inst. de Verb.
Obl. l. 37. 38. ff. de Reb. cred.*

XIX.

Hinc dubium est, an contracta videatur Locatio Conductio, si
convenerit inter contrahentes, ut res iusta mercede conducta esse de-
beat? Quod Negandum arbitror: si tamen traditio rei accessit ad istam
conventionem, actionem præscriptis verbis locum habere puto. *fac. §.
1. Inst. de Locat. & cond.*

XX.

Quid verò si alieno arbitrio definitio mercedis sit commissa? Di-
stinguendum est, utrum generaliter incertæ personæ, vel viri boni, an
nomi-

198.
nominatim certæ personæ arbitrium sit electum. Illo casu contractus nullus est, *l. 25. princ. Locati.* Hoc casu Locatio conductio sub conditione videtur contrahi; Ita ut tum demum Locatio subsistat, si is qui nominatus est, mercedem definierit; Si autem noluerit, vel non potuerit pretium definire, contractus pro nihilo est. *d. l. 25. princ. l. ult. C. de contr. empt. §. 1. Inst. de loc. & cond §. 1. Inst. de Empt. & vend. l. 75. ff. pro socio.* arbitrium enim electum hoc casu non egreditur personam electam. *dd. ll. exemplo stipulationum l. 43. 44. D. de V. O.*

XXI.

Quod si arbitrii manifesta appareat iniquitas, tunc actione locati ad arbitrium boni viri redigi potest *fac. l. 24. princ. D. Locat. l. 76. 79. ff. pro socio. l. 3. C. commun. utriusq. jud. l. 22. de R. I.* Reductioni autem ad arbitrium boni viri ob iniquitatem, tum demum locus esse videtur, cum laesio duplum justæ mercedis excedit. *fac. l. 22. §. ult. ff. Locat. cum l. 2. 8. C. de rescind. vend. Donell. ad d. l. 43. ff. de V. O. n. 19.*

XXII.

Tum, ad exemplum emptionis, merces etiam in pecuniâ numeratâ consistere debet: hanc enim sententiam ut receptiorem, ita & Iuri nostro convenientiorem puto. *per l. 1. §. 9. ff. depos. l. 5. §. 2. ff. de prescript. verb. l. 25. §. 6. ff. loc. cond. cum l. 26. §. 1. ff. de furt. & aliis alleg. in Coll. Iur. Arg. d. lib. 19. tit. 2. th. 25.*

XXIII.

Quod si igitur loco mercedis, vel de certâ aliqua specie, vel aliâ re fungibili reddendâ convenit, Locatio non contrahitur, sed res incidit in causam contractus innominati. *dd. ll. l. 1. §. 2. ff. de prescr. verb. §. 2. Inst. Locati.* (non tantum si de opere aliquo faciendo, sed etiam de re aliquâ utenda vel fruenda actum sit. *l. 19. §. 3. l. 25. §. 6. l. 51. ff. locati. l. 14. ff. de statulib.*) qui non ex solo consensu, ut locatio, sed re vel facto interveniente nascitur. *d. l. 5. & pass. tit. ff. de prescript. verb. l. 7. §. 2. ff. de pactu. & actionem præscriptis verbis parit. dd. ll. l. 23. in fin. ff. comm. divid.*

XXIV.

In re tamen fructus ferente, veluti fundo, alteratâ quodammodo locationis naturâ, certam fructuum quantitatem loco mercedis nonnunquam dari solitum fuisse, ex *l. 21. C. de loc. cond.* probabile est; quod & hodiè vulgò receptum esse videmus.

XXV.

Sufficit autem ab initio mercedem in pecuniâ numeratâ consti-

uit.

7-23

tui: cuius solutio ex pacto in fructibus vel aliâ re fieri potest. *l. 19. § 3. l. 35. §. ult. ff. Locati. l. 18. C. de loca. & cond. exemplo Emptionis l. 24. princ. ff. de pignorat. act. l. 79. ff. de contrah. empt. l. 6. §. 2. ff. de Actione Empt. l. 6. C. de pact. int. empt. l. 17. C. de solut.*

XXVI.

Uno nummo locatio non magis, quàm emptio venditio rectè contrahitur. *l. 46. ff. loc. l. 10. §. ult. ff. de acquir. possess. quia tùm magis donandi quam locandi animo fieri videtur. d. l. 46. fac. d. l. 38. ff. de cont. empt. l. 3. 8. 9. C. eod.*

XXVII.

An autem donatio ita sub specie locationis facta valida sit, dubitari possit? quod Affirm. siquidem inter contrahentes donatio non est prohibita. *fac. l. 3. 9. C. de contrah. empt.*

XXVIII.

Contrahitur locatio non tantùm expressè; sed etiam tacitè; quod tamen unico ferè casu accidit, cum scilicet tempore, de quo initio contractus convenit finito, conductor in Locatione permanit; tum enim Locatio tacitè renovata videtur, iisdem pensionibus & pignoribus. *l. 13. §. ult. & l. seq. ff. Loc. l. 16. C. eod.*

XXIX.

Fidejussores verò & pignora, à tertio, nomine conductoris, obligata, ex hac tacitâ reconductione non tenentur. *d. l. 13. §. ult. fac. l. 7. C. eod. l. 3. §. 6. ff. de jur. fisci.*

XXX.

Tempus etiam conductioni priori adjectum non videtur tacitè repetitum. Si enim conductio in quinquennium vel decennium contracta fuerit, fundus quidem in annum; domus verò, quoad habitaverit conductor, tacitè reconducta videtur. *d. l. 13. §. ult. ff. Loc. Conduct.*

XXXI.

Huc etiam pertinet, quod Locatio, præsertim rerum immobilium, plerumque ad certum tempus contrahatur; veluti in annum, *l. 1. §. 4. ff. de migr. vel lustrum l. 13. §. ult. ff. Locat. sive quinquennium l. 9. §. 1. ff. d. t.*

XXXII.

Hinc quæritur, an Locatio ad longum tempus (sive ad decennium aut ultra) conductori jus in re (sive ut Doctores loquuntur, Utile dominium

minium) tribuat, ex quo, exemplo emphyteutæ & superficiarii, actione in rem adversus quemvis rei possessorem experiri possit? Affirm. communiter Dd. Ab iis discedunt *Wesembec. par. D. tit. loc. n. 8.* & alii, quorum opinio mihi etiam Juri Justiniano magis congrua videtur.

XXXIII.

Effectus Locationis Conductionis est, Obligatio, quæ ultro citroque inter contrahentes oritur: quæ Conductor obligatur, ut secundum legem conductionis re conductâ utatur, & vicissim mercedem debito tempore pro usu ejus solvat: Locator verò; ut Conductor re locatâ liberè & sine impedimento uti possit. Quod si contra fecerint, Locatori adversus Conductorem actio Locati: Huic contra Locatorem actio Conducti datur. *In fin. princ. Instit. de loc. & cond. pass. ff. & C. eod.*

XXXIV.

Actione Locati præcipuè locator persequitur (1) mercedem, *l. 7. §. 9. ff. de pos. & usuras à tempore moræ l. 17. C. de Loc.*

XXXV.

Moram autem committit conductor, si merces non fuerit soluta debito tempore, quod vel ex conventionem partium æstimatur, vel ex more regionis, *l. 19. C. de Loc.* ut scilicet si in plures annos res utenda locata fuerit, quolibet anno exacto; aliàs finito locationis tempore, merces exigere possit. *Wesembec. par. D. loc. n. 14.*

XXXVI.

Quod si Conductor per biennium mercedem non solverit, licet in plures annos locatio contracta sit, impunè à Locatore expelli potest. *l. 54. §. 1. l. 56. ff. Locati. l. 3. Cod. eod.*

XXXVII.

(2) Rem locatam usu finito *l. 34. C. de loc.* quod si Conductor eam usque ad sententiam definitivam sine justa causa restituere recuset, præter rem locatam, æstimationem ejus Locatori solvere tenetur. *l. 34. C. de loc. l. 10. C. unde vi.*

XXXVIII.

Oportet autem rem restituere eo statu, quo Conductori à Locatore tradita fuit. Si enim dolo vel culpâ Conductoris corrupta est, vel perit, ejus æstimationem, & id quod interest, Locator hac actione consequitur. *l. 11. §. 2. l. 25. §. 3. l. 29. ff. loc. l. 23. ff. de R. l. l. 5. §. 2. vers. sed ubi utriusque. ff. Commod.*

XXXIX.

Hic quæritur? An Conductor teneatur, si quid culpa ejus levissimâ

B

simâ

simâ, damni in re locatâ contigerit? Neg. puto *fac. dd. ll. l. 3. §. 1. Naut. caup. stab & plura alleg. in Coll. Arg. d. t. 2. th. 21. in fine.*

X L.

Actione Conducti agit Conductor, ut rei Conductæ usus à locatore sibi liber præstetur; aut si non possit, solvatur id quod interest, *l. 8. 15. §. 1. & pass. ff. locat. si modò dolo aut culpa (levi) locatoris id fiat. dd. ll.*

X L I.

Quod si sine dolo aut culpâ locatoris Conductor re conductâ uti non possit, locator ex locato tenetur, non ad id quod interest, sed ut ei pensionem vel mercedem, pro parte, vel in solidum remittat, aut quod accepit eo nomine, restituat. *l. 9. princ. d. l. 15. §. 2. 7. ff. locat.*

X L II.

Veluti si ob magnam sterilitatem nullos aut exiguos fructus ex fundo percipiat. *dd. ll. l. 8. 18. C. de loc. (nisi ex ubertate præcedentium vel sequentium annorum illa sterilitas compensari possit) vel domus locata incendio consumpta sit, sine culpa Conductoris. l. 19. §. 6. l. 11. §. 1. ff. d. t. aut ex justo timore periculi, veluti belli, pestis, inquilinus è domo emigraverit. l. 13. §. 7. l. 27. §. 1. ff. d. t.*

X L III.

Damnum quoque, quod Conductor ex re locatâ dolo vel culpâ locatoris passus est, *l. 19. §. 1. ff. d. t. l. 61. §. 6. ff. de furt. & quod in rem conductam necessariò, vel utiliter impendit, in hanc actionem venit. l. 19. §. 4. l. 55. §. 1. l. 61. prin. ff. locat. & alia, de quibus vid. Coll. Arg. d. t. 2. thes. 33.*

X L IV.

Ad effectus locationis Conductionis referri potest, quod per eam nec dominium transferatur, *l. 39. ff. d. t. (quanquam id aliquando ex pacto fieri possit, exemplo l. 31. pr. ff. d. t. quo casu res notissimos locationis terminos egreditur, exemplo l. 24. ff. depos.) nec possessio. l. 60. §. 1. ff. loc. l. 6. §. 2. ff. de prec. §. 5. Inst. de Interd. Unde etiam interdicta possessionis tuendæ colono denegantur; veluti interdictum Uti possidetis, Unde vi, l. 1. §. 10. 22. l. ult. ff. de vi & vi arm.*

X L V.

In locatione prædiorum urbanorum hoc quoque singulare est, quod res in ea inductæ, inductæ & illatæ, (eo animo, ut ibi perpetuò essent, non temporis causâ. *l. 32. ff. de pign. l. 7. §. 1. ff. in quib. caus. pign. tac.)* locatori pro mercede & deteri oratione rei, jure tacitæ hypothecæ obligatæ sint. *l. 4. princ. ff. de pact. l. 2. 3. 4. princ. l. 6. ff. in quib. caus. pign. tac. l. 5. l. ult. C. eod.*

Illata

Zoo

XLVI.

Illata verò in rusticum prædium pignori non sunt, nisi expressè ita inter dominum & colonum convenerit. *d. l. 32 ff. de pign. d. l. 4. pr. in quib. caus. pign. tac. l. 11. §. 2. ff. qui pot. in pig. l. 5. C. de loca.* Sed fructus tantum taciti pignoris jure tenentur. *l. 24. §. 1. l. 53. in fin. ff. loc. l. 7. prin. D. in quib. caus. pign. tac. contrah.* Fructuum verò dominium colonus acquirit, tum demum, cum ipse eos percepit; *fac. l. 60. §. 5. ff. loc. l. 52. §. 8. l. 61. §. 8. ff. de furt. §. 36. in fin. Inst. de rer. divis.*

XLVII.

Huc pertinet, quod heredes locatoris & Conductoris teneantur stare locationi à defunctis cōtractæ; *§. ult. Inst. de loc. & cond. l. 19. §. pen. l. 60. §. 1 ff. eod. l. 10. C. eod.* Quod secus est in successore singulari, velut emptore, donatario, legatario, *l. 3. ubi Goth. in not. C. de locato. l. 32. ff. eod. l. 59. §. 1. ff. de usufr. l. 120. §. ult. ff. leg. 1.* (nisi ea lege rem locatam acceperint *d. l. 3.*) quo casu tamen, si singularis successor, Conductorem expulerit, locator ei, ad id quod interest, actione Conducti tenetur. *ad. ll.*

XLVIII.

Hic Q. An & tum singularis successor locationi stare teneatur, si domus conductæ Conductoris pro observatione contractus fuit pignori obligata? Quod Neg. puto, *arg. ll. in th. preced. alleg.*

XLIX.

Contraria locationi sunt, dolus, vis, metus, error, & alia, quæ bonæ fidei contractuum naturæ repugnant, & faciunt, quo minus jure subsistant. In specie verò ad ea quæ locationi repugnant, referri possunt causæ, ob quas Conductor è re conductâ impunè à locatore expelli potest. Cujusmodi sunt: Mora Conductoris in solvendâ pensione per biennium. *supr. th. 36.* Aut si Conductor in re locatâ perperam sit versatus, *l. 3. C. de loc. l. 54. §. 1 ff. eod.* vel domus necessariâ refectione opus habeat. *d. l. 3. l. 3. §. 3. ff. uti possid.*

L.

Item si locator ipse, velejus heredes, ad proprios usus rem locatam (sive ædes locatas; in his enim tantum hoc obtinere putant *Dd.*) sibi necessariâ esse probaverint *d. l. 3. C. de loc.* dummodo causâ necessitatis tempore contractus nondum fuerit, vel culpa locatoris postea non supervenerit. *fac. l. 3. §. ultim. l. 4. ff. ut in poss. leg. l. 11. §. 8. D. de Interrog. act.* vel inter locatorem & Conductorem convenerit de non expellendo Conductore, in specie ob hanc causam: Generalis enim conventio

B. 2 de non

7-29



de non expellendo id non videtur operari. *fac. l. 54. §. 1. ff. loc. cum l. 56. princ. ff. Mand.*

L I.

Quod si tamen locator domum locatam alii vendiderit, ve donaverit, emptor aut donatarius (cùm ex pacto locationi stare tenentur *sup. th. 47.*) Conductorem expellere non possunt, eo prætextu, quod eà ad proprios usus indigeant. *fac. d. l. 3. C. de locato.*

L II.

Immodica denique læsio (quæ dimidium justii pretii excedit) locationi contraria est, ut scilicet beneficio *L. 2. C. de rescind. vend. eam* ob causam rescindi possit. *fac. d. l. 2. junct. l. 22. §. 3. ff. loc.*

Hæc pro præsentii disputatione
sufficiant.



TRASSBURG, Diss., A627-23

ULB Halle
004 527 275

3




SB

V077







B.I.G.

Farbkarte #13

175 Gr.

TIONES
IDICÆ
DE

17
35.

TIONE
DUCTIONE.

UAS
M. A.

1628/4.

RÆSIDIO
& Consultissimi,

NDI Flach / J. U. D.
RIMA ARGENTORA.

ITATE PROFESSORIS
ris, & Fautoris sui omnis
iæ cultu profe-
uendi.

tiendas proponit
embris, die 4.
orio ICrorum.

ARUS BERRINGERUS
Lusatus.

o
TORATI.

REPI, Anno 1628.

29

